



*FH. sunt æquales. Cum enim tota AC & GI sint æquales: etiam partes tertias AF & GH æquales esse necesse est.*

**XL.** Si duæ rectæ in se mutuo ducantur, efficitur inde quadrangulum rectangulum: *Vt, si dua rectæ AB & AD in se mutuo ducantur, efficitur inde quadrangulum ABCD. Quod si ergo AB sit quinq; pedum, AD sex: totum quadrangulum ABCD erit triginta pedum quadratorum, ut apparet ex lineis in diagrammate punctatis.*



**XL I.** Rectangula è tota una & segmentis alterius, simul sumta, sunt æqualia rectangulo ex utraq; tota. *Vt, rectangula ex tota AD. 6. & segmentis AG. 3. & GB. 2. nempe rectangula AGFD. 18. & FGBC. 12. simul sumta sunt æqualia rectangulo ABCD. 30. factò ex utraque tota AD. 6. & AB. 5.*



**XL II.** Si quatuor rectæ sint proportionales (hoc est, si se habeant, ut prima ad secundam, ita tertia ad quartam) rectangulum mediarum æquatur rectangulo extremarum. *Vt, si sint quatuor proportionales AB duorum: EF trium: FG sex: BC novem pedum: Rectangulum mediarum EF & FG, nempe rectangulum EFGH, æquatur rectangulo extremarum AB & BC nempe rectangulo ABCD. Nam ut bis novem sunt octodecim: ita ter sex sunt octodecim.*

I. Si